

construxit. Hic Innocencius in ambasiata misit dominum Wilhelmum Grimordi abbatem Marsiliensem, qui postea papa effectus et Urbanus quintus nuncupatus, ad domnium Mediolanensem, videlicet Barnabo. Qui Barnabo eundem dominum Wilhelmum coegit ipsas litteras sue ambasiata comedere, ipsamque super asinum ligavit versa facie ad caudam et cum meretricibus et latronibus de Mediolano expulit, et sic ad papam reversus fuit.

Item anno domini 1356. vigilia pasche fuit festum Georgii martiris, et eodem anno fuerunt vinee destructe per grandines. Et eodem anno Brabantini recesserunt a domino suo duce. Et eodem anno Luce ewangeliste fuit magnus terre motus, per quem Basilea corruit, et multa edificia preciosa ibidem destructa fuerunt; unde dicitur in proverbio: 'Eyn ring mit eym dorn, drii hubysern ußerkorn, ein zimmer axcks, der krüge zal, dû viel Basel oberal' ¹⁾. Et eodem anno fuit magna caristia vini. Et eodem anno Karolus imperator fuit in Metis cum principibus electoribus, sollempnissime electores quilibet in suo officio imperatori ministrantes.

Urbanus quintus Grimaldensis (*hs.*: gmaldensio) successit anno domini 1362. et sedit annis 8. Obiit in Aviniona et ibidem sepultus. De hoc Urbano vide in paragrapho precedenti, scilicet Innocencii sexti. Hic Urbanus volens se vindicare in Mediolanensem ducem de iniuria sibi illata, ut in paragrapho precedenti, confederavit se Karolo imperatori et aliis quam pluribus. Et venit etiam ad eum Karolus imperator ad Avinionem anno domini 1365. in mense Junii. *Hic Urbanus *f. 239. a multis pro sancto habetur, nam valde devotus in apparencia fuit et in graciis et beneficiis dandis parcissimus, et nonnisi litteratis seu aliis abilibus beneficia contulit. Hic maxime contrarius fuit dominis Mediolanensibus, sed modicum contra eos facere potuit, quia Karolus imperator fuit cordialiter secum; sed dolose facta sua expedivit, dimittens papam et ecclesiam in factis suis. Item predictus dominus Urbanus quintus circa annos domini 1367. intravit Romam et ibi mansit fere duobus (*hs.*: duabus) annis cum curia sua. Et ad eum tunc venit ad Romam Karolus imperator et ab eo etiam coronam imperialem recepit. Et papa obviam imperatori in Roma equitavit, et imperator de equo descendens papam at gradus Sancti Petri pedester cum freno conduxit. Et deinde papa Avinionem reversus et ibidem in brevi post obiit, scilicet anno domini 1370.

Huius tempore, scilicet anno domini 1362, grandines devastarunt et percusserunt vineas (*hs.*: vinea) prope Cruczenach. Item anno domini 1364. fuit et volavit maxima multitudo

1) Diese Verse enthalten die Jahreszahl m. ccc. l. vi; 'der krüge zal' für die Zahl sechs ist mir nicht klar.